Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



27

Descendit et lauit in iordane septies · iuxta sermonem uiri dei
et restituta est caro eius sicut caro pueri parui: et mundatus est
a lepra · Reuersusque ad uirum dei cum uniuerso comitatu suo:
uenit et stetit coram eo · et ait · Ecce scio quod non sit alius deus in uni
uersa terra · nisi tantum dominus deus israhel · Secundum lucam ·

In illo tempore · Dixerunt pharisei ad ihm · Quanta audiuimus facta
in capharnaum: fac et hic in patria tua · sicut amen dico uobis:
quia nemo propheta acceptus est in patria sua · In ueritate dico uobis:
multe uidue erant in diebus helie in israel · quando clausum est celum
annis tribus et mensibus sex · cum facta esset fames magna in omni terra:
et ad nullam illarum missus est helias · nisi in sarepta sydonie ad mu
lierem uiduam · Et multi leprosi erant in israel · sub heliseo propheta:
et nemo mundatus est nisi naaman syrus · Et repleti sunt omnes in
synagoga ira: hec audientes · Et surrexerunt et eiecerunt illum
extra ciuitatem: et duxerunt illum usque ad supercilium montis · super
quem ciuitas illorum erat edificata: ut precipitarent eum · Ipse autem
transiens per medium illorum ibat · Feria · iiii · l · Begin ·

In diebus illis · Mulier quedam clamabat ad heliseum prophetam dicens ·
Seruus tuus uir meus mortuus est et tu nosti quia seruus tuus fuit
timens dominum: et ecce creditor uenit · ut tollat duos filios meos
ad seruiendum sibi · Cui dixit heliseus · Quid uis ut faciam tibi:
Dic mihi: quid habes in domo tua: Sed illa respondit · Sed habeo
ancilla tua quicquam in domo mea: nisi parum olei quo ungar · Cui
ait · Uade et pete mutuo ab omnibus uicinis tuis uasa uacua non
pauca: et ingredere et claude hostium cum intra te fueris tu et
filii tui · et mitte in omnia uasa hec: et cum plena fuerint tol
les · fuit itaque mulier: et clausit ostium super se et super filios suos:
illi afferebant uasa: et illa infundebat · Cumque plena fuis
sent uasa: dixit ad filium suum · Affer mihi adhuc uas · Et ille
respondit · Non habeo · Stetitque oleum · Uenit autem illa: et indica
uit homini dei · Et ille · uade mulier uende oleum · et redde ce